UIRO ILLUSTRI

CAR. FRID. WILHEL. AUG. VATERO

CONSILIARIO REGIS BORUSSIAE A CAMERA REGIA IN CAUSIS IUSTITIAE CONSULENDO, ITEM NEGOTIIS LEGITIMIS PRIUATORUM EX MANDATO SUSCIPIENDIS PROCURATORI PUBLICE CONSTITUTO

SUMMOS IN UTROQUE IURE HONORES

OB INSIGNIA IN REMPUBLICAM LITTERARIAM MERITA

HONORIS PUBLICE TESTIFICANDI CAUSA

SPONTE COLLATOS

PRONUNTIAT

ORDO IURISCONSULTORUM WRATISLAUIENSIUM.

WRATISLAUIAE

TYPIS UNIUERSITATIS MDCCCXXIII.

Si methodum, qua Maius, uir de republica litteraria meritissimus, nuper in edendis reliquiis librorum Ciceronis *de republica* usus est, cum ea comparamus, quam idem uir doctus ante aliquot annos in editione Frontonis secutus erat, mirari non debemus, diligentiam ab ipso in adornanda Ciceronis editione adhibitam a criticis nostris summis laudibus elatam esse. Nempe didicerat Maius, quid in edendis palimpsestis editorem praestare deceat, a Goeschenio nostro, qui intermedio tempore Gaii *institutiones*, e palimpsesto Ueronensi descriptas, typis mandando, exemplum exhibuerat illustre, nec a quoquam, cui talium rerum cura quandoque contigerit, inpune negligendum. Unde merito in editorem Gaii eosque qui eum operis suis adiuuarunt, egregius atque perennis splendor redundauit, cui si nos quidem, qui talis gloriae expertes sumus, paululum inuideremus, indulgentius

de nobis iudicandum esset. Sed praestat periculum facere, anne nunc etiam nobis de Gaio aliquantulum bene mereri et in particulam quandam gloriae uenire liceat, ingenium nostrum qualecunque in his locis exerçendo, quae ab editore sociisque imperfecta relicta sunt. Inuitat animum, quod insignis editoris diligentia in notis omnem schedularum Ueronensium copiam, lacunis supplendis inseruientem, accuratissime descriptam exhibuit, ita ut quaecunque operam nostram iuvare possint, in promptu habeamus. Proinde nobis est propositum, in supplendis lacunis, quae in priore parte commentarii quarti occurrunt, operam nostram collocare. Quodsi cui nonnunquam ausus nostri parum feliciter cessisse uideantur, aequum est, ut rei difficultas nobis excusationem pariat: uersamur enim in locis extricandis, in quibus uiri ingenio praeclari miraque sagacitate praediti frustra desudauerunt. Quae cogitatio apud nos ipsos tantum inualuit, ut, proposito nostro procul abiecto, quaelibet alia tractare maluissemus, nisi in mentem uenisset, uiros sagacissimos, cum necesse fuerit maturare editionem, ab omnibus elegantioris iurisprudentiae studiosis ardenter desideratam, pleraque frustra tentare debuisse, quae quin iam ab aliis ingenio inferioribus sed largiori otio fruentibus feliciori euentu tractari possint, nihil obstat.

Sed fas est, rem ipsam aggredi, ne in praefatione facienda nimii esse uideamur. Id solummodo praemonere

liceat, pleraque loca nos ideo intactos reliquisse, quia Cl. Bluhmio, cum ante aliquot annos Ueronae commoraretur et oblata occasione denuo inspiciendi codicis diligentissime perfrueretur, oculorum acie adiuto lacunas supplere contigit. Quae supplementa cum in cl. C. Wittii, collegae humanissimi, exemplo in margine notata inueniremus, haesimus paulisper, an dissertatiunculae nostrae, seruato scilicet inuentoris honore, inserere liceret. Nec erat extimescendum, ipsum Bluhmium id aegre laturum fuisse; nam quanta sit in uiro docto animi liberalitas uel ex eo conspici potest, quod omnes lectiones, quas ipsi iter in Italia susceptum in Gaio suppeditauerat, protinus cel. Hugoni transmisit, nulla, uti uidetur, occultandi lege addita, cum istas lectiones in plerorumque Gaii exemplarium marginem migrauerint. Formidabamus autem maleuolorum turbam, ne opusculi nostri tenuitatem plumis alienis uelasse diceremur. [1])

Gai. IV. 2. „In personam actio est, qua agimus „ * * * * * * * * * * alioue, qui nobis uel ex contractu uel „ex delicto obligatus est . . . . .“ Ductus litterarum, qui in lacuna huius loci uiris doctis, codicis describendi causa Ueronam profectis, apparuerunt, quique

---

[1]) Loca, quae a nobis praetermissa sunt, quia Cl. Bluhmius eadem feliciter uentilauit, haec sunt: Gai. IV. 7. 14. 16. 48. 49. 50. 52. 64. 105. 108.

in schedulis inde allatis depicti habentur, ex eorum numero sunt, qui figura sua prae ceteris minus insigniuntur ideoque facilius confunduntur. Legi posse uidetur „*cum promissore*" (librarius scripserit „*cū. pmissore*"); est enim uerisimile, Gaio inprimis id genus debitorum in mentem uenisse, quod in foro frequentissime reorum uicem sustinuisse putandum est. Neque admodum displicet, si uelis Brinkmanni [2]) opinionem sequi, qui *sponsoris* mentionem iniectam esse putat; immo poterit dici, lectionem „*cum sponsore*" (scriptum fuisse oportet „*c'sponsore*") propius ad ductus litterarum accedere, quos in schedulis conspicimus. Sed praestat forsan reponere „*cum iudicato*", quae lectio cum litterarum reliquiis mire congruit, si supponamus a librario uitiose scriptum fuisse „*c'iudiicato.*" Remittimus idcirco lectorem ad tabulam lithographicam, quam in calce huius programmatis adiiciendam curauimus, ut minori negotio sententia nostra de textu e schedulis refingendo lectoribus appareat, cum in ea qua laboramus typographici apparatus penuria de scripturae compendiis uerbis disserendum fuisset, eaque disputatio ne obscurior fieret metus iustissimus animos nostros incesserit. Ceterum qui hanc opinionem probare

---

2) Uid. einsdem *notae subitaneae ad* Gaii *Inst. comm.* Slesuic. 1821 pag. 32.

malucrint, ad Dirksenii [3]) coniecturam accedent, qui legendum censet „*cum debitore ex iudicati causa*“: quae tamen ipsa lectio, utpote a litterarum uestigiis in codice obuiis paullo latius aberrans, omnino repudianda uidetur. Ut subsistere possit Dirksenii coniectura, debet in codice Ueronensi scriptum esse: „*c'debitore i. c.*“ Iam si quis schedularum notas comparare uelit, fatendum erit, spatii angustias tot litteris minime sufficere, nec de scripturae compendio, quod in uerbo „*debitore*“ adhibitum fuerit, quidquam constat. Displicet etiam sigla „*ex i. c.*“, quae nec apud Gaium alio loco occurrit, nec in notarum siglarumque indicibus exhibetur.

Gai. IV. 9. „Rem uero et poenam persequimur uelut ex his causis, ex quibus aduersus infitiantem in duplum agimus: quod accidit per actionem iudicati, item depensi, damni iniuriae * * * * * * * * * * legatorum nomine, quae per damnationem certa relicta sunt.“ Brinkmanni coniectura („*damni aut iniuriae* siue Aquiliae aut *legatorum nomine*“) schedularum inspectione refutatur. Nec, sicut uidetur, si sequi uelis litterarum uestigia, quid aliud eruere poteris nisi uerba „*uel Aquilianam.*“ (Uid. tab. lithogr.) Quod si quis obiiciat, damni iniuriae actionem nusquam sub nomine *Aquilianae actio-*

---

3) Uid. eiusd. libellus nuper editus: *Versuche zur Kritik und Ausl. des röm. Rechts.* pag. 129.

nis occurrere, sed *legis Aquiliae actionem* uocari, nos equidem minime mouebimur. Quippe negari nequit, hanc formam rationi consentaneam esse, quam in actionum ceterarumque formularum denominatione apud Romanos obtinuisse constat. Notissimae sunt Publiciana, Seruiana, Pauliana actiones, notissimae Hostilianae actiones a Cicerone memoratae, notissima Aquiliana stipulatio, Muciana cautio et similia. In legum latarum denominatione rem aliter se habere, nec unquam patronymicas terminationes inueniri, non est quod dubitemus. Proinde *lex Aquiliana* admitti non potest; *Aquiliana actio* recte se habet, ita ut contra asserendum sit, *Aquiliam actionem* ferri non posse. Simile quid obseruamus in *Manilianis legibus* (i. e. formulis) uenalium uendendorum, quae a *legibus Maniliis* (de Mithridatico bello a Pompeio persequendo et de suffragiorum confusione) diuersissimae sunt.

Gai. IV. 31. „Tantum ex duabus causis permissum „est lege agere, damni infecti et si centumuirale iudicium „ * „ * * * * ante lege agit sacramento aput praetorem ur„banum vel peregrinum.“ Fortasse supplendum: „*locum habet: nam cum ad centumuiros itur ante lege agitur.*“ Ductus litterarum, quae in schedis apparent (uid. tab. lithogr.) ab ea lectione non admodum recedere, apertum est. Uerba „*locum habet*“ minus certa esse, fatendum est; uerum admodum probabilia esse uidentur. Quae sequuntur certiora

sunt, et a sagacissimo *Holwegio* nostro dudum inuestigata (uid. addenda in calce editionis Gaii adiecta).

Gai. IV. 34. „Habemus adhuc alterius generis fic-„tiones in quibusdam formulis: uelut cum is, qui ex edicto „bonorum possessionem petiit, ficto se herede agit. . . . „. . . . . . . ueluti hoc modo: Iudex esto. * * * * * | * „ * * certus, id est, ipse actor * * * * * * * * * * * * „ * * * * * * | — — — — — — — — | proposi „ta simul * * * * * * * * * * * * * * ita subiicitur: „tum si pa|ret numerium negidium aulo (*agerio*) ses-„tertium X milia dare oportere.“ Sic refingimus: „iudex esto. *quod aulus agerius*, id est ipse actor, *si lucii titii heres esset*, *numerio negidio*, *id est cum quo agitur*, *sestertium decem milia fuisse numerata intenderet.* Proposita simul *mentione bonorum possessionis* ita subiicitur.“ etc. Uerba „*Aulus Agerius*“ et „*Numerio Negidio*“ pridem cl. Holwegius (uid. addenda p. 363.) animaduerterat: certissima sunt. Etiam de uerbis „*si Lucii Titii heres esset*“ neminem in suspenso futurum esse confidimus, si tabulam lithographicam aspexerit, cum nota, qua uerbum „*heres*“ in Gaii codice scriptum esse consueuit, uix confundenda sit, et in schedis satis luculenter appareat. Nec desiderari poterunt uerba „*si heres esset*“ in formula qua quis ficto se herede agit, sicut in ea formula qua aduersus peregrinum quasi ciuem romanum agitur (Gai. IV. 37.) clausula „*si ciuis romanus esset*“

nobis occurrit. Uerba „*i. e. cum quo agitur*" respondent praecedentibus „*i. e. ipse actor*", quapropter extra dubium posita esse oportet. Ceterum mirari non debemus, explicationem quandam a Gaio afferri in denominationibus Auli Agerii et Numerii Negidii, cum istae denominationes, quae in personam actionibus, actoris reique significandi causa, solennes fuisse uidentur, hoc loco primum occurrant. Sed caue, ne legas „*Numerio Negidio, cum quo agitur*", omissis uerbis „*id est*", et uerba „*cum quo agitur*" pro parte formulae accipias; in omnibus enim actionum formulis, quas Gaius nobis administrat, nusquam talem clausulam additam inuenimus. „*Sestertium X milia*" pariter summo iure restituta esse uidentur, cum in ultima formulae parte, quam Gaius mox subiungit, sestertium X milia demonstrentur; unde fieri non potuit, quin etiam in priore formulae parte eius summae mentio facta fuerit, et ea quae in schedulis apparent, coniecturae nostrae fauent. Uerba „*fuisse numerata intenderet*" minus certa sunt; sed cum uerbum „*quod*", quocum haec formula incipit, demonstrationem significet (cf. Gai. IV. 39.), demonstratio autem *factum*, cui intentio innititur, continere debeat, minime dubitamus, quin in formula nostra facti cuiusdam, unde sestertium X milia debita fuerint, mentio facta sit. Quae autem frequentior fuerit creditorum pecuniariorum causa, quam pecuniae numeratio? Denique pro explorato habuimus, in formula actionis a bo-

norum possessore instituendae omnino desiderari bonorum possessionis mentionem; proinde cum schedae annuere uiderentur, in altera quae mox sequitur lacuna non dubitauimus uerba reponere: „*mentione bonorum possessionis*“; quis enim negauerit, tali restitutione commodum sensum effici?

Gai. IV. 36. Iureconsultus noster, de Publiciana in rem actione agens, sic pergit: „nam quia non potest eam „ex iure Quiritium suam esse intendere, fingitur rem usu„cepisse, et ita quasi ex iure Quiritium dominus factus „esset, * * * hoc modo.“ Sequitur formula actionis. Nos finem sic restituimus: „factus esse, *ueluti hoc modo*“, ita ut ultima litterula uerbi „*essct*“ insequenti uerbo iungatur. Id autem si facimus, supponendum est, uiros doctos, schedularum confectores, in codice Ueronensi describendo errasse et in simplici lineola litteram *t* uidisse. Tabula lithographica id quod sentimus accuratius demonstrabit.

Gai. IV. 37. „. . . . si furti agat peregrinus . . . . „formula ita concipitur: Iudex esto. si paret (*OPE*) „consilioue *dihoniscr.meifilio* furtum factum esse pa„terae aureae, quam ob rem eum, si ciuis romanus esset, „pro fure damnum decidere oporteret et reliqua . . . .“ Quae uerba a nobis charactere minusculo, quem currentem uocant, secundum schedularum auctoritatem expressa sunt, in ipso textu editionis deficiunt, ita ut lacuna ap-

pareat. Idque merito factum esse, nemo dubitabit, cum ea, quae in schedulis leguntur, omni sensu apertissime destituantur. Nec de medela, quam adhibere debeamus, satis constat. In litteris „*dihonis*“ nomen aliquod peregrinum latitare certissimum esse uidetur; sed an corruptum sit nec ne, et a quo genere emendationis remedium sperandum sit, sagaciorum inuestigationi relinquendum est. Litterae quae sequuntur, fortasse sic restituendae sunt: „*c. r. massilie̅*“, ita ut interpretari debeamus „*ciuis reipublicae Massiliensis.*“ Litteram *c ciuem* significare, notissimum est. Per litteram *r rempublicam* denotari posse, uidere licet apud Gruterum (fol. 97. inscr. 11.) ubi *respublica Ueronensis* tribus litteris (R. VE.) scripta inuenitur. Nec mireris, Gaio, de peregrinae civitatis exemplo cogitanti Massiliensem ciuitatem prae ceteris in mentem uenisse, cum notum sit, Massilienses commerciorum studio ceteras ciuitates superasse, ita ut existimare liceat, quam maximam Massiliensium cateruam commerciorum causa Romae habitasse, et omni generi forensium negotiorum frequentissime implicatam fuisse. Scimus praeterea, Romanis antiquitus in usu fuisse, exilii causa Massiliam concedere, quo fieri debuit, ut Massiliensis ciuitatis recordatio in urbe Roma quodammodo quotidiana euaderet. Ceterum de ciuitate Romana Massiliensibus donata nihil constat. Tiberii tempore Massilienses ciuitate romana caruisse oportet; narrat enim Tacitus (annal. IV. 43. in fin.),

senatum probasse factum exulis cuiusdam UALERII MOSCHI, qui in ciuitatem Massiliensium receptus, bona sua reipublicae eorum, ut patriae, reliquerat. Ergo ne tunc quidem Massilia exulibus receptaculo esse desierat, quod fieri potuisse credendum non est, si Massilia ciuitatis Romanae beneficio Romanorum reipublicae adiuncta fuisset. Certe ciuitas Massiliensis exuli Romano conferenda non erat. Nec uerisimile est, Massilienses ante ANTONINI (CARACALLAE) constitutionem,[4]) quae omnibus, in orbe Romano degentibus ciuitatem Romanam condonabat, huius beneficii participes factos fuisse. Quapropter nihil obstat, quominus GAIUS in peregrino homine significando ciuis Massiliensis exemplo usus fuerit.

GAI. IV. 40. „Demonstratio est ea pars formulae, „quae * demon- „stretur res, de qua agitur.“ GOESCHENIUS (in nota) sic fortasse legendum esse censet: „*quae praecipue ideo inseritur ut*“, quae lectio litterarum uestigiis mirum in modum conuenit. Sed displicet uerbum „*praecipue*,“ quod praeter rem additum esse uidetur. Nec cel. HUGONEM coniecturam GOESCHENII probasse existimandum est. Ex eius opinione fortasse sic legeris: „*quae praescriptionis olim uice erat ut.*“ Sed cur „*olim?*“ Nec satis placet, quod in uerbo „*olim*“ compendium scripturae

---

[4]) L. 17. D. de stat. homin.

supponendum est, de cuius usu non satis constat. Quid si legamus: „*quae praescribitur intentioni ut*"? Sensus certe iam ita se habet, ut nihil amplius desiderari queat; nec schedularum ratio lectionem quam proposuimus respuere uidetur, ut ex inspectione tabulae lithographicae apparebit.

Gai. IV. 42. „Adiudicatio est ea pars formulae, qua „permittitur iudici rem alicui ex litigatoribus adiudicare: „uelut si inter coheredes familiae erciscundae agatur, aut „inter socios communi diuidundo, aut inter uicinos finium „regundorum. * * * * * * * * * * * * * * * ADIU„DICARI OPORTET, IUDEX TITIO ADIUDICATO" Ubi Gaius ceteras formularum partes, demonstrationem scilicet, intentionem et condemnationem, describit (IV. 40. 41. 43.), in citanda formula constanter his uerbis utitur, „*uelut haec pars formulae.*" Haec uerba quo minus hoc etiam loco restituere uelimus, obstant spatii angustiae. Nec est, quod miremur, Gaium, qui iisdem fere uerbis in pari causa uti solet, hoc modo eadem uerba adhibere noluisse, cum uerbum „*uelu-ti*" paucis lineis ante praecesserit, nec sine damnabili et uix ferenda sermonis inelegantia repetendum esset. Uix dubitare licet, quin supplendum sit: „*nam illic ita est*: *QUANTUM*" etc., cum ductus litterarum in schedulis conspicui minime ambigui sunt (uid. tab. lithogr.), et uerba „*nam illic ita est*" mox (in §. 51.) iterum occurrant, ut de illorum usu certi esse debeamus. Ceterum ex tabula lithogra-

phica uidere licet, ad schedularum auctoritatem necesse fuisse restituere „*Quantam*" pro „*Quantum*". Uerum refragatur grammaticae ratio, nisi nobis persuasum habeamus, librarium omisisse uerbum „*partem*"; nam palam est, omnia optime cohaerere, si legamus: „*QUANTAM* (PARTEM) *ADIUDICARI OPORTET, IUDEX TITIO ADIUDICATO.*"

GAI. IV. 43. „. . . IUDEX NUMERIUM NEGIDIUM AU-
„LO AGERIO * * * * * * * * * CONDEMNA: SI NON PA-
„RET, ABSOLUITO . . . . ." Exhibentur a GAIO hoc loco tria condemnationum exempla, quarum tertia a prioribus in eo differt, quod imperfecta est, deficientibus scilicet uerbis: SI NON PARET, ABSOLUITO. Primae et secundae differentia uerbis in lacuna delitescentibus inesse oportet, nam in ceteris prorsus conueniunt. Coniecturari licet, condemnationem posteriorem incertae pecuniae positam esse, cum in priori certa pecunia sit. Fortasse scripserit GAIUS: „*QUANTI EA RES ERIT,*" quod a uestigiis scripturae, quae in schedulis habentur, non alienum est (vid. tab.). Cf. GAI. IV. 16., ubi duae formulae conspiciuntur, quarum utraque incertae pecuniae posita est, posterior autem uerba „*quanti ea res erit*" exhibet.

GAI. IV. 44. „ * * * * * * * * * * * partes simul
„inueniuntur, sed quaedam inueniuntur, quaedam non
„inueniuntur. certe intentio aliquando inuenitur . . . .
„. . . demonstratio autem et adiudicatio et condemnatio

„numquam solae inueniuntur: nihil * * * * * * sine „intentione uél condemnatione ualet; item condemnatio sine demonstratione uel intentione uel adiudicatione nullas „uires habet: ob id numquam solae inueniuntur." Initio huius loci Goschenio uerba desiderari uidentur: „*Neque tamen semper istae*" etc. Uerum putare licet, uix unquam omnes partes formularum simul inuentas fuisse, cum adiudicatio iudiciis diuisoriis propria fuerit, in ceteris autem iudiciis plerumqae condemnatio locum habuerit. Poterit omnino dubitari, an unquam adiudicatio et condemnatio iungi potuerint. Sed nil decernimus. Certum est, in iudiciis diuisoriis etiam impensarum, damnorum, ceterorumque, quae inter coheredes sociosue obligationem contrahunt, rationem haberi. Quam ob causam fieri potuit, ut praetor id officium in ipsa formula actionis iudici expresse iniunxerit, condemnatione addita; nec tamen id ita factum esse pro explorato habendum est, cum iudex absque condemnatione talium praestationum in ipsa adiudicatione rationem habere potuerit, ita ut quantum alteri ab altero praestari debere paruerit, tanto plus in adiudicatione concedatur. [5]) Forsan legendum est:„ *sed uix unquam*

---

5) Nec nos fugit, communi diuidundo iudicium de solis praestationibus datum esse, quoties res perierit uel alio modo communis esse desierit. L. 6. pr. l. 11. comm. diuid. (10 3.) Id autem iudicium *utile* uocatur, et satis apparet, in tali iudicio adiudicatione cessante actionis formulam adiecta condemnatione concipi debuisse.

istae" etc. uel, quod magis probandum fuerit „*nec tamen unquam istae.*" Quae lectio quomodo e litterarum reliquiis, quae in schedulis conspiciuntur, eruenda sit, tabula lithographica docet.

Iam de altera lacuna sententia nostra proponenda est. Legendum sine dubio: „*nihil enim demonstratio*" etc., quod e litterarum ductibus, qui in schedulis depicti sunt, nullo negotio eruetur (uid. tab. lithogr.).

Neque tamen facta redintegratione eorum, quae in lacunis delituere, officio nostro satisfecisse uidemur, sed iam disquirendum est, num etiam alius generis medicina huic loco afferri debeat. Goeschenius (in notis) aliquid excidisse opinatur, et legendum esse censet: „nihil *enim demonstratio aut adiudicatio*" etc. Quod nobis non admodum placet; cum enim appareat, adiudicationem simillimam esse condemnationi, dissimillimam demonstrationi, necesse fuerit, ut Gaius in hac disquisitione adiudicationem non cum demonstratione, sed cum condemnatione coniunxerit. Et offendit in hoc loco non id solum, quod de adiudicatione nil singulatim tractatur, uti expectare licebat, sed multo magis, quod in Gaio legimus, condemnationem sine demonstratione uel intentione *uel adiudicatione* nullas uires habere. Condemnationem sine demonstratione uel intentione nihil ualere, sine dubio certissimum est; quid autem sibi uult hoc loco *adiudicatio*, cum ipsa ratio doceat, adiudicationem aeque ac con-

demnationem sine intentione et demonstratione inualidam esse, et ideo ad sustinendam condemnationem, alioquin inualidam, nullius prorsus momenti esse debere? Quid quod id ipsum non satis constat, an unquam in eadem formula condemnatio et adiudicatio simul inuentae fuerint. Quid multa? Transpositione quadam locum nostrum sanandum esse censemus. Quippe legendum est in fine: „item condemnatio *uel adiudicatio* sine demonstratione uel intentione nullas uires habent." Mutationes minoris momenti, ex ipsa, quam proposuimus, transpositione pendentes, (quod pro „*adiudicatione*" poni debuit „*adiudicatio*" et pro „*habet*" in plurali numero „*habent*") excusatione non indigent.

Gai. IV. 53 „Si quis intentione plus complexus „fuerit * * * * * * * * * rem perdit, nec a Praetore in „integrum restituitur * * * * * * * * * * * casibus „. . . ." Supplemus „*causa cadit, id est*", et mox „*nisi in quibusdam* casibus." Prius supplementem sumsimus ex institutionibus Iustiniani, ubi §. 33. *de act.* (4. 6.) sic habet: „Si quis agens in intentione sua plus complexus fuerit quam ad eum pertineat, *a causa cadebat, id est,* rem amittebat, nec facile in integrum restituebatur" etc. [6])

---

[6]) Ipse Gaius alibi (IV. 68.) hisce uerbis utitur: „*causa cadat et ob id rem perdat*"; unde quis concluserit, in loco nostro reponendum esse „*causa cadit et ob id rem perdit.*" Subsistimus tamen.

Posterius supplementum sensus postulat. Mouet praeterea, quod in schedis ante uerbum „*casibus*" littera *m* conspicitur. Quae in Gaio locum supra citatum sequuntur, ex institutionibus Iustiniani ideo restitui nequeunt, quia apertum est, Iustinianum multo prolixius materiam de plus petitione tractare, quam a Gaio factum est.

Gai. IV. 55. „Item palam est, si quis aliud pro alio „intenderit, nihil eum periclitari, eumque ex integro „agere posse, quia * * * * * * * * * * * * * * * „ * * * * * * * * * * * si is, qui hominem Stichum „petere deberet, Erotem petierit" etc. Res difficillima est huius loci restitutio. Locus parallelus est §. 58., ubi apud Gaium legimus: „Si in demonstratione plus aut minus positum sit, nihil in iudicium deducitur, et ideo res in integro manet" etc. Unde quis coniiciet, lacunam illam sic expleri debere: „*quia nihil plane in iudicium deducitur*, *ueluti si*" etc. Nec spatii ratio huic coniecturae aduersatur. Cum tamen ductus litterarum, quatenus in codice apparere uidebantur, minus accurate ad lecturam nostram accedant (uid. tab. lith.), pro certo nihil affirmamus.

Gai. IV. 62. „Sunt autem bonae fidei iudicia haec: „ex empto uendito, locato conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, fiduciae, pro socio, tutelae * * „ * * * * * * * depensi * * * * * * * * * * * * * „ * * * * * * * * * * * * * * * * * * *". Priorem

huius loci lacunam, ubi schedulae habent „*p* * * * * * *dati*", cel. *Sauignius* explendam esse censet uerbis „*pignoris dati*". Ipse *Goeschenius* mauult reponere „*commodati*", cui ut assentiamur admodum procliues sumus. Iustiniani institutiones habent „tutelae, *commodati*, *pigneratitia*". Commodati actionem etiam apud Gaium nominatam fuisse, uix est, quod dubitemus. Pigneratitiam actionem Gaius omittere potuerit; cum fiduciae actio (in Iustiniani institutionibus praetermissa) in enumeratione occurrat, et pigneratitia actio quasi species quaedam fiduciae actionis fuisse uideatur. Poterit etiam dubitari, an solenne fuerit ICtis Romanis pigneratitiam actionem sub nomine „*actionis pignoris dati*" recensere. Quod ad posteriorem lacunam attinet, potest defendi, nihil deesse, sed librarium, cum uerbum „*depensi*" scripsisset, oculis suis ad uerbum „*depositi*" aberrasse, eademque, quae post uerbum depositi sequuntur, denuo scripsisse. Uerbum „*fiduciae*" in schedulis euidenter apparet; item uerbum „*pro*" in his quae sequuntur litterarum uestigiis deprehenditur. Continuauerit igitur librarius uitiosam scripturam hoc modo: „*pro socio*, *tutelae*, *commodati*, *depensi*"; iam ad nouam propositionem deflectens, quam ex Goeschenii opinione in hanc fere sententiam expresserit: „*In his itaque iudiciis*, *quae bonae fidei sunt*, *compensationis* rationem habere *iudici non* formulae uerbis praecipitur" etc. Quam con-

iecturam si pro uera accipiamus, omne spatium occupabimus, neque credendum est, Gaium praeter actiones, quas memorauimus, ceteras etiam enumerasse, quae in Iustiniani institutionibus occurrunt, scilicet familiae erciscundae, communi diuidundo, praescriptis uerbis, quae de aestimato proponitur et eam quae ex permutatione competit, denique hereditatis petitionem. De hereditatis petitione ipse Iustinianus narrat, ante suam constitutionem incertum fuisse, àn haec actio bonae fidei iudiciis annumeranda sit nec ne. Quod autem ad diuisoria iudicia attinet, poterat ea Gaius quasi propriam speciem actionum, a bonae fidei actionibus sensu proprio sic dictis quodammodo diuersam, in enumeratione bonae fidei actionum praetermisisse.

Gai. IV. 65. „Item * * * * * * deductione * *
„ *
„hoc solum * * * * * * * * * * * * * * * * * *
„ * * * quod superest, deducto eo, quod inuicem tibi „defraudatoris nomine debet". Quidni: „Item *ut bonorum emptor cum* deductione *agere cogatur placuit, ita ut in* hoc solum *aduersarius condemnetur*, quod superest, deducto eo, quod inuicem tibi defraudatoris nomine debet". Sed de singulis paulo accuratius tractandum erit. Quae in prima lacuna reposuimus („*ut b. e. cum*") certissima esse uidentur. Flagitat hanc coniecturam sententiae ratio, adminiculantur uestigia litterarum quae in sche-

dulis conspiciuntur (uid. tab.). Alterius lacunae supplementum meliori iure in dubium uocare licebit, cum ea non solum schedularum notis parum firmetur, uerum etiam plus aequo ab eis recedere uideatur. Quid autem, si demonstrare liceret, nos uerbum „*agere*", quod non minus quam cetera incertum esse apparet, optimo iure reposuisse? Ita sane res se habet. Est enim hoc uerbum inter lectiones BLUHMIANAS, quas in margine notatas habet GAII exemplar WITTIANUM, ut supra memorauimus. Hoc uerbo seruato caetera quoque nobis seruata esse confidimus. Tertiam lacunam ita repleuimus, ut ea quae reposita sunt uix in dubitationem uenire possint.

GAI. IV. 66. „Inter compensationem autem, quae „argentario opponitur [7]), et deductionem, quae obiicitur „bonorum emptori, illa differentia est, quod in compensationem hoc solum uocatur, quod eiusdem generis et „naturae est, ueluti pecunia cum pecunia compensatur, „triticum cum tritico, uinum cum uino: * * * * * * „ut quibusdam placet, non omnimodo uinum cum uino, „aut triticum cum tritico compensandum, sed ita si „eiusdem naturae qualitatisque sit". Litterarum uesti-

---

7) Sic posuimus cum cel. *Hugone* (uid. add.) pro „*interponitur*", quod habet editio. Nec aduersatur codicis scriptura, si notam, quam editor sic interpretatus est, ut „*inter*" legerit, pro littera *p* accipiamus, et in praecedente littera *o* geminationem adhibeamus.

giis conueniret „*denique*" (uid. tab. lithograph.). Uerum cum huic particulae conclusionis uis magis inesse soleat, quam gradationis, sententiae rationi magis aptum esse uidetur uerbum „*adeo*", quod etiam cel. Hugo (in addendis) et cl. Brinkmannus (in notis subitaneis) recipiunt. Nec schedulae admodum aduersantur, cum uiri docti, qui eas confecerunt, in spatio lacunae recte aestimando facillime falli potuerint. Quod si uterque in loco nostro mox legit „*placeat*", modo indicatiuo in coniunctiuum transposito, ualde ueremur, ne id sine idonea ratione factum fuerit. Omnia enim bene se habent, si absque immutatione legamus: „*adeo, ut quibusdam placet, non omnimodo uinum cum uino . . . . compensandum* (scil. est)". Germanice: „sogar kann, wie einige meinen, nicht schlechterdings Wein mit Wein . . . . in Gegenrechnung kommen" etc.

Gai. IV. 71. (De exercitoria actione disputans): „cum „enim ea quoque res ex uoluntate patris dominiue con„trahi uideatur, aequissimum * * uisum est, in solidum „actionem dari". Supplemus: „*praetori*", quod uerbum in codice duabus litteris *pr* notatum fuerit.

Gai. IV. 72. „Praeterea tributoria quoque actio in „patrem dominumue * * * * * * * * * * * * * * * „ * * * * * * * * * * * * constituta est" etc. Supplemus: „*Praetoris edicto moribusue*". In schedulis con-

spicimus, ubi lacuna incipit, litteram *p*, et ubi explicit, litteras *busue*. Cum tributoria actio sine dubio praetoria sit [8]), *praetorii edicti* mentio fieri debuit; sed credendum est, id ipsum, quod tributoriae actioni proprium erat, scilicet ab ipso patre quasi a magistratu domestico iurisdictionem quandam exerceri, antiquissimo Romanorum iuri, quod *mores maiorum* uocant, tribuendum esse.

Gai. IV. 74. „. . . . . Is quoque cui tributoria ac„tio competit, de peculio uel de in rem uerso agere „potest. sed huic sane plerumque expedit, hac potius „actione uti, quam tributoria. nam . . . . potest „quisque tertia forte, aut quarta, uel etiam minore parte „peculii negotiari, maximam uero partem in praediis „uel in aliis rebus habere * * * * * * * * * * ap„probari id * * * * * * * * * * * * * in rem patris „dominiue uersum esse, ad hanc actionem transire de„bet. nam, ut supra diximus, eadem formula et de pe„culio et de in rem uerso utimur". Forte supplendum: „*Item si non possit* approbari id *quod creditum est*" etc. Uerba „*quod creditum est*" ex sola sententiae ratione restituenda erant, cum in schedulis praeter uestigium quoddam uerbi „*quod*" nihil conspiciatur [9]). In his quae

---

8) §. 3. I. quod cum eo contr. est. »Introduxit et aliam actionem praetor, quam tributoriam uocauit.«

9) Nec repugnamus, si malis coniicere „*id quod contractum est*", nam in §. 71. legimus: „cum enim ea quoque *res* ex voluntate patris

praeterea a nobis reposita sunt, pariter sententiae rationem et schedularum auctoritatem secuti sumus. In tabula lithographica uidere licet, coniecturam nostram a litterarum ductibus non admodum recedere.

Gai. IV. 84. „. . . . quinetiam sunt, qui putant, „et eum procuratorem uideri, cui non sit mandatum, „si modo bona fide accedat ad negotium et caueat ratam „rem dominum habiturum * * * * * * * * * * * * * * „mandatum * * * * * * * * * * * * * * * * *quia „saepe mandatum initio litis in obscuro est, et postea „apud iudicem ostenditur". Quid si suppleamus: „*et ut illico sit mandatum*, *plerumque non requiritur*"? Remittimus lectorem ad tabulam lithographicam, ut appareat, quomodo haec lectura e litterarum uestigiis plerumque incertissimis eruenda sit.

Gai. IV. 95. „Ceterum si aput centumuiros agitur, „summam sponsionis non per formulam petimus, sed „per legis actionem sacramento * * * * * * * pro-

---

dominiue *contrahi* uideatur"; et mox: „Institoria formula locum habet cum . . . . quid cum eo eius rei gratia, cui praepositus erat, contractum fuerit". Similia habet §. 72. Denique eodem plane sensu, quo posuimus „*quod creditum est*" reponi potest „*quod debitum est*". Et cum iam §§. 72. et 73. denuo relegimus, id ipsum ad usum loquendi Gaio nostro familiarem paulo propius accedere nobis uidetur.

„uocat * eaque sponsio sestertiorum CXXV nummorum „fit * * * * * *legem *repertam". Emendamus: „summam sponsionis non per formulam petimus, sed per legis actionem sacramento *possessore* prouocato *agimus*. §. 95ª. Sponsio*nes autem* XXV nummorum *fiunt propter* legem *Papiriam*". Cuius emendationis cum ratio reddenda sit, uerbis parcere licebit; tabula enim lithographica speciem totius loci, sicut in schedulis conspicitur, exhibet, et demonstrat, coniecturam nostram ad schedularum formam plerumque quam proxime accedere. Id certe nobis persuasum habemus, in posteriore huius loci parte GAIUM docere uoluisse, cur is, qui per sponsionem in rem acturus erat, ad summam XXV nummorum (cuius in praecedente §. 93. meminerat) sponsionem suam dirigere debuerit. Proinde patet, lectionem in editione receptam, ubi de CXXV nummis sermo est, omnino abiiciendam esse. Ex hac emendatione ceteras pendere, manifestum est. Nomen legis ad coniecturam cel. DIRKSENII (Versuche z. Krit. u. Ausl. pag. 135.) expressimus, ne lacunam relinquere necesse esset; lectionem incertissimam esse fatemur. Ceterum in eo aperte a DIRKSENIO dissentimus, quod ille nomen legis e litteris *pp*, quae uerbum „*legem*" praecedunt, eruere conatur. Nec scripturae compendium, quo GAIUM usum esse supponitur, satis placet, cum in legum nominibus scribendis rarissime scripturae compendia adhibeantur; nec intelligimus, quid

sibi uelit lectio a DIRKSENIO probatà „*post Papiriam legem repertam*“, cum leges reperiri non dicantur, nec uocem „*repertam*“ ad uerbum „*sponsio*“ referre liceat. Denique monendum est, Romanorum more in legum nominibus nomen adiectiuum substantiuum sequi solere, adeo ut inusitatum sit de *Papiria lege* loqui, cum potius *lex Papiria* poni debuerit.

GAI. IV. 111. „Aliquando tamen * * * * * * *
„ * * * * * * * * * * * * imitatur ius legitimum:
„quales sunt eae, quas possessori [Sched. * * * * * * *
„sori] bonorum ceterisque qui heredis loco sunt, accom-
„modat“. Non erat necesse hunc locum attingere, cum in accessionibus ipsius editionis (pag. 365.) contineantur, quae de lacuna huius loci supplenda et olim sensimus et nunc sentimus, nisi et in iis quae sequuntur emendatio quaedam necessaria uideatur. Nempe legendum esse censemus: Aliquando tamen *praetoriae actiones* imita*n*tur [Cod. habuerit: *imitatur*] ius legitimum: quales sunt eae, quas *praetor posses*sori bonorum ceterisque qui heredis loco sunt, accommodat“. Alteram lacunam, quam uncis inclusam exhibuimus, cel. GOESCHENIUS repleuerat uerbo „*possessori*“, sed sensus postulat, ut praeterea uerbum „*praetor*“ inseramus. Nec est, quod de spatio solliciti simus, cum supponere liceat, in codice uerbum *praetor* duabus litteris *pr* scriptum esse, et in uerbo sequenti quoque compendium adhibitum esse possit (*p'ses* pro *posses.*)

Sed placet abrumpere filum dissertationis nostrae. Cui si uiri docti, qui talium rerum curiosi sunt, arridere uoluerint, non detrectabimus, quin alia occasione oblata continuationem opusculi nostri suscipiamus, nisi repetita Gaii editio, quam indies ingenti desiderio expectamus, cum apud bibliopolas prioris editionis exemplaria frustra quaesiueris, pleraque praeripuerit, quae a nobis coniectura assequi forte licuerit. Quod ut ita eueniat, et Gaius noster quantum fieri poterit, omnibus numeris absolutus prodeat, uehementer optamus. Forsan aliquando pretiosissimas reliquias iuris antiqui nuper a cel. Maio e palimpsesto erutas et iam Dümleri impensis typis uulgandas, quarum aliquot quaterniones in manus nostras peruenerunt, Gaii institutionibus in noua editione procuranda adiungere licebit. Pleraque sane, quibus in hisce reliquiis offendimur, ab editore Gaii sociisque medicinam expectare uidentur [10]).

---

10) E. g. §. 47. legimus: „Item. Per mancipationem deduci ususfruc„tus potest: non etiam transferri per DO LEGO legatum. Et „per in iure cessionem et deduci et dari potest". Rectius interpungendum erat: „Item. Per manicipationem deduci ususfructus potest, non etiam transferri. Per DO LEGO legatum et per in iure cessionem et deduci et dari potest". Porro §. 52. „Usus„fructus ad certum tempus constitutum cum adiectione temporis „sui dari debere". Emendandum: „Ususfructus ad certum tempus constitutus cum adiectione temporis *uindicari* debet". Sunt

Superest, ut, quid hanc nobis scribendi opportunitatem attulerit, indicemus. Decreuit equidem Ordo Noster Uiro Illustri Iurium Consultissimo

Carolo Friderico Guilielmo Augusto Vater Consiliario Regis Borussiae, a Camera Regia in causis iustitiae consulendo, litium a priuatis demandandorum procuratori publice designato, summos in utroque Iure honores, ultro conferendos. In quo non tam liberalitatem quandam spontaneam exercere, quam debiti potius exsoluendi officio, nimium fere diu protracto, defungi arbitrati sumus. Quis enim, ut supremis illis honoribus, qui doctrinae et singularium de litteris meritorum praemia atque ornamenta peculiaria haberi solent, condecoretur, potius quodammodo iure suo postulare posse uideatur, quam qui publicorum munerum negotiis assiduis obrutus, pauculas otii, ab officii laboribus uacui horas in eo consumere delectetur, ut scriptis, ex eruditionis, experientia usuque quotidiano maturatae, copia haustis,

---

alia pleraque, quae diligens editor nullo negotio restituet. Paulo diutius haesimus in §. 111., ubi in fine sic habet editio: „Cum uero aestimatae dantur, quoniam ex empto incipiunt possideri ante nuptias, aut pendente uenditione, non prius usucapio sequi potest, quam nuptiis secutis". Et sane audaciores nobis esse uidemur, si emendare uelimus: „Cum uero aestimatae dantur, quoniam ex empto incipiunt possideri, ante nuptias autem pendet uenditio" etc.

scientiam ipsam augeat atque promoueat. Quod quo iure de VATERO Nostro Uiro Illustri, praedicare liceat, lubenti gratoque animo confitebuntur, quicunque aut iustitiae administrandae aut publicarum rerum gerundarum in Borussia prouincias sortiti, scripta Eius, exactissima diligentia legumque patriarum ad minutissima usque accurata cognitione conflata, de rebus dubiis consulendi causa uix unquam frustra adierint; idem elegantioris quoque iurisprudentiae cultores, qui, quam sit in omnibus legitimae scientiae partibus, maxime adeo reconditis atque abstrusis, exercitatus egregieque doctus, quauis operum Eius pagina facile deprehenderint, cunctis concedent suffragiis. Quibus gloriae laudisque VATERI Nostri fautoribus nos haud ingratum facturos esse speramus, si quae de uita scriptisque Eius explorare contigit, opportuna hac data occasione, carptim enarremus.

Natus HABELSCHWERDAE, comitatus Glacensis oppido, die ultimo mensis Martii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi quinti, patre IOHANNE SIMONE VATER, circuli Glacensis comitatus rationario portoriique exigendi inspectore, primis litterarum rudimentis gymnasio Magdaleneo, quod Wratislauiae floret, imbutus est. Destinauerat pater puerum mercaturae, cuius addiscendae gratia, oblata commoda occasione, Gadibus eum collocare de procerum familiae communi sententia constituerat. Uerum enimuero, ubi filium, ardentissimo litterarum amore incensum, haud uulgares in studiis progressus facere de-

prehendit, ab hoc proposito facile destitit, iuuenique litteris totum se dedere cupienti, animo lubenti annuit. Quo consilio, anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto, aetatis decimo nono, e gymnasii disciplina, non sine magna et ingenii praestantis et diligentiae insignis laude dimissus, uniuersitatem litterarum Francofurto-Uiadrinam petiit, ibique iurisprudentiae studio, indefessa industria prosperrimoque successu, praeceptoribus potissimum usus Georgio Samuele Madihn et Ioachimo Georgio Daries, academiae Francofurtanae tunc temporis decoribus, per triennium principaliter incubuit, haud neglectis tamen iuxta assiduam iurisprudentiae tractationem liberalium artium studiis, quorum singulari a prima inde aetate amore flagrauerat, quibusque quantum profecerit, tum poëmata plurima facete admodum, nonnulla latino sermone composita, tum cantus aliquot uocum sonis non sine arte ac uenustate exscripti, immo communi omnium musicae peritorum applausu publice exhibti, luculentissima extant documenta. Anno millesimo septingentesimo septuagesimo septimo exeunte, non sine animi repugnantia, cum reipublicae litterariae totum sese dicare, iurisque professionem, cuius obtinendae spes a praeceptoribus, ingenii facultates in iuuene haud mediocres deprehendentibus, mota ei erat, quandoque ambire in uotis habebat. Wratislauiam reuersus, anno sequenti Camerae Regiae secretarii supra numerum constitutum uice

sine salario adiunctus est. Cuius noui muneris negotia etsi molestissima ipsi fuerint, grato tamen animo prouectiori aetate saepissime agnouit, eorum in primis ope id assecutum esse, ut uniuersi militiae ac politiae status, nec non administrandorum redituum publicorum formulae in Silesia usitatae plenam solidamque cognitionem sequenti tempore sibi comparare potuerit. Haud multo post cum Camerae referendariis simul adscriptus esset, pergratum ei contigit, ut in rebus iudicariis, studiorum eius rationi magis congruis, duce cel. Pachaly, fiscalis generalis munere tunc temporis fungente, adhiberetur. Uerum rei familiaris angustiis afflictus, cum salario nondum frueretur, anno supra milesimum septingentesimo octuagesimo quarto, non grauate acceptauit, cum camerarii saltuumque inspectoris et senatoris, curiae urbis Glacensis rerum iudicariarum causa adiuncti uices ei demandarentur, quibus mox annis octuagesimo quinto et sexto non solum secretarii in causis iustitiae circuli comitatus Glacensis sed etiam litium procuratoris et notarii publici munera adiecta sunt. Quam conditionem per se quidem satis opimam satisque honorificam, minus tamen suauem ei reddiderunt uariae magnaeque molestiae, quibus magistratus ciuiles in oppidis munitis obnoxii ultra modum esse solent. Ac sane hisce incommodis offensus, iam opportunam mutandi domicilii occasionem circumspiciebat, cum praeter omnem exspectationem anno octuagesimo septimo

Wratislauiam ad munus consiliarii regii, Camerae Regiae in causis iustitiae assistentis suscipiendum uocaretur. Quam inuitationem lubentissime secutus, primum non sine difficultate impetrauit, ut iuxta prouinciam recens demandatam, mandatarii quoque litigantium notariique publici uicibus, iam cum GLACAE uersaretur susceptis, porro fungi ei permitteretur. Uerum summa, qua VATERUM esse omnes norunt, animi probitate, egregiaque in officii laboribus sustinendis solertia ita superioribus suis mox commendatus est, ut praeter functiones modo delatas, commissarii perpetui in causis iudicialibus ad rei frumentariae et commeatus administrationem pertinentibus, item syndici collegio medico et sanitatis adiungendi, arcaeque huius collegii praefecti munera fidei eius deinceps committere haud dubitauerint.

In tot officiorum assiduis laboribus Uiro eximiae sedulitatis tantum temporis reliquum fuisse, quantum scriptis, diligentia et subtilitate exactissima ac paene incomparabili conscriptis, impenderit, necesse est, iure meritoque mireris. Inter quae primis praecipuisque laudibus haud dubie celebrandum est *Repertorium uniuersam Silesiae administrationem complectens ordine systematico dispositum* *); quo quam perfecte ultra adeo peritorum expec-

---

*) Privatentwurf eines vorzüglich für Geschäftsmänner bestimmten systematischen Repertorii der preuss. schlesischen Verfassung. Uol. I. II. Wratislauiae et Fribergae 1798 8vo.

tationem communi omnium publicarum rerum in Silesia ministrorum desiderio satisfecerit, e nulla re magis apparere uidetur, quam quod ipsa Camera Regia hanc iurium Silesiacarum collectionem usui magistratuum prouincialium cuiuscunque ordinis publice commendare necessarium duxerit *). Quo factum est, ut omnibus libri exemplis breui diuenditis, noua editio uehementer flagitaretur, precibusque auctor undequaqe sollicitaretur, ut eam quam primum typis excudendam curaret. Qui, quamuis nouam operis sui materiam, summo adeo tum laboris tum pecuniae dispendio, congerere atque corradere intermedio tempore minime desierat, tamen iteratam impressionem procurare nullis precibus commoueri se passus est. Scilicet bene perspexerat, immutata prorsus rerum publicarum administrandarum ratione post cladem asperrimam, patriae bello annorum seculi decimi noni sexti et septimi inflictam, iam eo rem esse perductam, ut iterata libri impressio neutiquam sufficeret, sed repetita totius operis retractatio necessario desideraretur. Cui etsi animus haud deerat, tamen otium et uires suffecturas esse, utique desperabat. Quapropter ne officio publice suscepto in totum se subtrahere uideretur, satis et sibi et communi peritorum expecta-

*) Quod factum uidemus rescripto Camerae d. 25. Septembris 1798.

tioni facturum esse existimauit, si pauculas horas a munerum negotiis uacuas in id impenderet, ut singulis tractatibus repertorii lacunas secundum nouarum legum emendationes suppleret, et repetitam eius praelectionem, quandoque etsi per alias manus procurandam, praepararet saltem atque instrueret *). Quam initam uiam

---

*) Hoc enim modo omnia omnino VATERI Nostri scripta, post Repertorium in publicum emissa, quorum hoc loco recensum ordine chronologico agendo operae nos pretium facturos esse confidimus, primo ac quasi primario Eius operi sese applicare uidentur. Sunt autem haec:

1) Etwas über die weiblichen Bürgschaften in Schlesien und der Grafschaft Glatz. Wratislauiae 1800. 8vo.

2) Preussisch-Schlesische Civil- Medicinal- und Sanitaets-Verfassung Wratislauiae 1800. 8vo.

3) Uebersicht des gemeinen Preussisch-Schlesischen Criminalwesens. Wratislauiae 1802. 8vo.

4) Ueber das alte und neue Schlesische Medizinal-Taxwesen. Wratisl. 1803. 8vo. Edit. alt. ibid. 1810. 8vo.

5) Ueber I. die heutige Grenze der bisher behaupteten allgemeinen Gültigkeit des alten Sachsenrechts in Schlesien, und über II. die Verjährung gegen den landesherrlichen Fiscus in dieser Provinz seit der dortigen Aufnahme jenes Rechts. Wratisl. 1818. 8vo.

6) Ueber die sogenannten Zählgelder bei Käufen der Grundstücke und Erbschaften in Schlesien. Wratisl. 1820. 8vo.

7) Die Gesetze des Preussischen Staats gegen die eigenmächtige Auswanderung nebst einem kurzen Commentare darüber. Ein Handbuch für alle Behörden und Anwälde, welche mit dieser Materie zu thun haben. Siebentes Supplement des bekannten Repertorii des Verfassers. Wratisl. 1822. 8vo.

utinam prosequi Uirum, prouecta licet aetate animo tamen citra modum alacrem atque impigrum, neque uirium corporis defectio aut ualetudinis infirmitas, neque otii honestissimi angustia prohibeant! Idque non solum Ipsius gloriae, sed etiam publicae utilitatis, litterarumque causá, quas maximum ex Eius opera incrementum capere laetandum est, uehementer precamur!

His denique accedunt

8) relationes de statu rei medicinalis in Silesia, ephemeridibus menstruis, „die Schlesischen Provinzialblätter", a mense inde Februario anni millesimi octingentesimi quinti insertae;

et

9) commentatio, cui titulus: „Beobachtungen über die Anwendung des §. 158. a, b, c, des Titels X. Th. I. der Preuss. Allgemeinen Gerichtsordnung auf Urkunden, welche Bestimmungen über Pflichttheile und Abfindungen nothwendiger Erben enthalten" etc. in *Kamptzii* Annalium legum Borussicarum fasciculo 31. pag. 154. *sqq.*

GAI. IV. 2		o o??
	Sched.	uu llecc'adcentiure*siante
	Coni.	c'uuam c'adcent. uirositante
IV. 34.		cll c ũ s ?o ?
	Sched.	l*atlqfll*ucllc*cisll dciell*ae|el
	Coni.	qatmfuissenũmeratatiten deret
IV. 36.	*Sched.*	essam
	Coni.	essam
IV. 43.	*Sched.*	dumia**ani
	Coni.	qnti ea ꝑ erit
IV. 44. *Lac. 1.*		? ** ?t d
	Sched.	ua|loscm ai*luri*i
	Coni.	dicium deducit' uuisi
IV. 65. *Lac. 1.*		? ? ? ?
	Sched.	adlleril*pll*c**ncmnci
	Coni.	aduersarius cōdemnet'
IV. 66.	*Sched.*	aa
	Coni.	der
Lac. 2.		| ?p ? ???
	Sched.	plcr [illegible] spc*lll*a
	Coni.	plerq. non requirit'
IV. 95.		pp ς
	Sched.	*|| pp legemcrepertam
	Coni.	r|| pp legem papiriam